

Da 93

83. Gymnasium zu Marienwerder

Jahresbericht




ü b e r

das königliche Gymnasium zu Marienwerder

v o n


Michael 1840 bis Michael 1841.



W o m i t

zu der öffentlichen Prüfung aller Klassen der Anstalt

am 7ten Oktober 1841



ergebenst einladet

der Direktor

Professor Dr. Joh. Aug. O. L. Lehmann.



Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrer Valentin Raymann.

Marienwerder, 1841.

Gedruckt bei Friedrich August Harich.



[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

KSIĄZNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Wydawnictwo~~
Chorn

AB1697

[Faint, illegible text]

„Sed ne hoc quidem mirari debes, si quando sententia aliqua ascriptum habeat nomen Tragoediae, eamque sententiam nunc in ejus nominis Tragoedia frustra quaeras. Nam saepe eidem Poetae ejusdem argumenti plures Tragoedias temporibus diversis fecere, aut etiam parte relicta partem immutarunt ita ut duplex earum editio ad posteros pervenerit: quod multis exemplis probari possit.“

Hugo Grotius in fine Notarum ad Stobaei Excerpt. p. 564.

„*Quae de duplici fabularum quarundam Graecarum recensione memoriae prodita sunt breviter exponuntur, ut ad iudicium de Trachiniis et de Hermannii sententia ad eam fabulam pertinente adhibeantur.*“

Quum Sophoclis Trachinias ab Hermanno editas primum adissem, ut discerem, quam uteretur argumentatione vir egregius, qui ostenderet, hanc fabulam ab auctore ipso bis editam esse, atque quum neque ex historia fabulae, neque ex locis veterum collectis argumenta petita eum adhibuisse, sed ex interno fabulae habitu tantum comprobare hanc rem voluisse cognovissem, virorum doctorum opiniones, quibus duplicem fabularum quarundam Graecarum recensioem extitisse opinati sunt, eo colligere consilio coepi, ut eas, temporum ratione habita, in certum, qualem historici solent, ordinem redigerem atque ita exponerem, ut omnes hae virorum doctorum sententiae, quotquot et quascunque in variis libris locisque dispersas et dissipatas hac de re reperirem, ad iudicium de Trachiniis et de Hermannii opinione ad eam fabulam pertinente adhiberi possent. At sive gravitatem materiae tractandae respexi, sive disserendi ubertatem, utrique simul satis facere plus esse laboris duxi, quam quem ego, neque satis versatus in his litteris, neque librorum, quibus aut prorsus carui, aut sero potitus sum, copia sublevatus subirem. Maximo autem mihi impedimento fuisse fateor rationem ejus, quo fungor, muneris publici quominus, quae pollicitus sum, omni ex parte, ut animus tulit, juste elaborata exhiberentur. Quae utinam aliquid excusationis apud viros doctissimos humanissimosque habeant!

Quantum ea pars criticae, quae altior appellari solet, in literis antiquis profecerit, vel ex iis colligi potest, quae de primitiva librorum veterum forma atque de recensione nonnullarum fabularum secundis in medium prolata sunt a viris doctis. Quorum principes et velut signiferi Wolfius, Boeckhii, Hermannus inter Germanos habendi sunt. Wolfius enim Prolegomenis ad Homerum suis ejusmodi quaestiones primus instituens, Boeckhium ad librum de Graecis tragicis edendum provocasse videtur. Eodem fere tempore Hermannus quoque in Praefatione ad Aristophanis Nubes, et triginta annis post in eadem Nubium Praefatione repetita et adaucta de duplici hujus fabulae recensione fusius disseruit; praeterea hanc materiam et singulatim et in universum, imprimis in poetis Tragicis et passim aliis in scriptis a se editis tractavit. Sed de his infra sermo erit.

Boeckhii igitur postquam primo capite libri, quem de tragicorum Graecorum principibus scripsit, rationem diascueus dramatum investigandae docuit, atque eam ab histrionibus passim tentatam fuisse

demonstravit, capite secundo (p. 18 sq.) de fabulis a poetis ipsis refictis in universum disseruit, fretus praecipue Quintiliano X. 1. 66. et Casaubono ad Athen. III. 28. Cujus disputationis summa his fere verbis continetur: „plurimi auctorum graecorum scripta sua, etsi edita posthac accuratius elima-
verunt, pedestri sermone pauciores,“ ut Plato (p. 19.) et Demosthenes. (p. 324.) Ubi auctoribus ad comprobendam de correctis Platonis scriptis sententiam adscriptis addendus est Schneiderus, Professor Wratislaviensis, in Praefatione ad Platonem, (p. XVIII.) qui praeter ea, quae ibi disseruit, locum Dionys. Halic. de composit. attulit, et hac de re in Praefatione ad Timaeum postea se uberius acturum pollicitus est. Sed de illo Quintiliani loco jam aliter statuerunt viri docti. Hermannus enim in dissertatione II. de choro Eumenidum (p. XVIII.) „Quintiliano,“ inquit, „non modo nullus adstipulatur alius scriptor, sed quidem aperte repugnat, de qua re dixit jam ad Quintilianum Gesnerus, „Quia Lycurgi oratoris rogatione decretum fuit, fabulas Aeschyli, Sophoclis et Euripidis, publica auctoritate descriptas inspici, dum agerentur, a scriba civitatis, ne quid histriones suo arbitrio mutarent.““ (Plutarch. vit. X. orat. p. 841 F.) Spaldingius, cui idem de Quintiliano iudicium est, exclamans, „quoties,“ inquit, „turbantem aliquid deprehendimus Fabium in veterum rerum memoria!“ Quibus addenda sunt, quae Frotscherus ad libr. X. Cap. 1 §. 22, et Cap. 7. §. 27 attulit.

His in universum praemissis jam expositionem de duplici nonnullarum fabularum recensione exorsuro ordinem, quo quaeque referentur, indicare mihi consentaneum videtur. Atque exordium ab Aeschyli fabulis faciam, tum quae de Sophoclis et Euripidis dramatis hanc in partem disputata sint a viris doctis persequar, denique autem, quae de duplicibus quarundam Aristophanis fabularum recensione memoriae prodita sint, breviter referam.

Aeschylearum, quae supersunt, septem fabularum tres tantum exstant, quarum de duplici recensione viri docti in diversas disputarunt partes, Prometheus vinctus, Eumenides, et Persae.

Prometheum bis editum primus odoratus est Robertellus in Reprehenss. suis, quem librum adire mihi non contigit, sed refero, quae in Aeschyleis Quaestionibus suis Hauptius tradidit; qui in Capite duodecimo (p. 119 sq.) de duplici hujus fabulae recensione scripsit: Robertellianum hoc duplicis editionis argumentum inde petatum esse „quod Aristoteles (Libr. IV.) dixerit, in orco Prometheum agi.“ Secundus, qui ad duplicem Promethei recensionem refugit, Abreschius est in Animadverss. in Aeschylum Libr. I. Cap. 2 p. 7. (ed Schaefer. et Schütz. Anim: ad Prom. p. 29 sq.) Is in voce *ἐπράχθη* haerens, scholia non congruere vidit cum Aeschyleis, itaque ad vers. 49. praeter alia, „Verum,“ inquit, „cum loco convenientissima nimisque docta mihi videatur lectio vulgata, quam ut ab imperita amanuensium natione eam mihi profectam persuadere valeam, non video, qua alia ratione acciderit, ut rationem tribuerent, mihi perinde, atque Stanleio suspectam, quam quia, ut dixi, non assequerentur vim verbi, et hinc, ut poterant, interpretarentur. Vel, quae sola pro scholiastis adferri posset excusatio, dicendum foret, duas olim hujus dramatis *ἐκδόσεις* ab ipso auctore prodiisse, quarum in altera, cujus apographos habuerint critici, dederit *ἐπράχθη*, altera, quod nunc legimus *ἐπράχθη*.“

Uberius jam hac de re Hauptius in libro supra laudato egit. Is enim Prometheum multis locis mutatum et emendatum putat, quod ex iis vocibus et versibus intelligatur, quos antiqui scriptores ex prior editione excerptos habeant, in nostris autem exemplaribus aut omnino desiderari videamus, aut

mirum in modum discrepantes exstare. (Praef. p. XVIII.) Robortelli suspicioni nihil tribuit Hauptius, „nam locus,“ inquit, „Aristotelis aliter potest explicari.“ (p. 122.) Neque, quo Abreschius usus est, argumentum probat, „nam, admodum,“ inquit, „lubricam hanc de duplici fabulae recensione materiam esse, monuerunt cum alii, tum nuper Hermannus.“ (p. 120 sq.) Hermannus autem ad Elmsl. Philoctet. haec sunt verba: „Poetae ipsi an aliquid correxerint, mihi quidem eo nomine colligi posse videtur, si ejusdem loci duae ita diversae scripturae inveniuntur, ut causae, cur altera alteri substituta fuerit, neque ab histrionum, vel errantium vel commoditati suae aut temporibus inservientium, vel a pravis criticorum, dictionis potissimum puritatem spectantium rationibus repeti possit. Versantur ea autem fere in his, ut quid magis perspicue, ut aptius, ut ornatus, ut fortius dictum sit, mutata esse appareat. Cujusmodi exempla in qua fabula reperta sunt, in ea verisimile est, illorum quoque multa ab ipso auctore correctae esse, quae leviora sunt, et unius tantum aut paucorum verborum mutatione continentur.“ Versus igitur, quos prorsus alios, ac nunc leguntur, scriptores exhibent antiqui, hos citavit Hauptius: 2. 3. 6. 60. 272. 293. 329. 355. 378. 454. 458. 642. 680. 712. 879. 882. 916. Causa vero duplicis recensione gravissima ei videtur esse, quod fabula primum non steterit auctori invidiam tantam conflaverit, ut in Siciliam profectus sit ibique eam refinxerit, quod vel ex orationis vestigiis Siculae conjici possit. (p. 123) Tum causis duorum Aeschylus itinerum Siculorum expositis finem duplicis demonstrandae editionis fecit.

De Eumenidum duplici recensione Boeckhii unus disseruit fusius in capite libri sui quarto et quinto. (p. 35 sq.) Est autem, subductis calculis haec fere Boeckhii summa disputationis: Eumenidas primum non stesisse in scena itaque iterum editam esse; posteriorem igitur esse editionem, quam habeamus, nam in priore fabulae commissione chorum L furiarum fuisse, in secunda XV; in priore furias cum ardentibus deductas esse facibus, in secunda iis caruisse; ob adversam prioris editionis fortunam poetam in Siciliam profectum esse, atque retractatam fabulam editam esse cum in Sicilia degeret. Contra Boeckhium disputavit Hermannus in dissertatione de choro Eumenidum secunda, (Opusc. V. II. p. 139 sq.) in qua non concedendum esse existimat, chorum unquam e L personis constituisse, nam non modo parum idoneum auctorem Pollucem esse, sed ne per se quidem eam rem credibilem esse; deinde ad refutandum argumentum, quo in priore Eumenidum editione furias cum ardentibus taedis prodiisse Boeckhii comprobare voluit, Hermannus scholia a Boeckhio ad rem efficiendam adhibita suo more correxit, ut ostenderet, illas faces non ad Aeschylus Eumenidas, sed ad aliorum fabulas tragicorum spectare. Quae denique Boeckhii ad confirmandam de duplici Eumenidum recensione opinionem attulit, e Polluce et scriptore vitae Aeschylus petita, Hermannus refutare studuit dissensionibus, quae de tempore itinerum Aeschylus Siculorum exstant, recensitis, atque erroribus, quos οἱ περὶ τὸν Αἰσχυλὸν interpretatione Boeckhiana provocarunt, remotis. (conf. Langii vit. Aeschyl. p. 10 sq.)

Hujus argumentationis Hermannianae quasdam tantum partes Schwenkii in Praefatione ad Eumenidas a se editas debilitare conatus est, (p. 11 sq.) qui fere omnia, quae de duplici fabularum Aeschylearum recensione prolata sunt, pro meris habet virorum doctorum commentis, id quod vel ex his intelligi potest verbis, quae in Addendis libri p. 200 leguntur: „ex argumentis,“ inquit, „historicis conjecturas facere licitum est, e conjecturis autem argumenta historica invenire, id est, aedificia sine fun-

damentis struere.* Atque p. 202 ad vers. 503 ita scripsit: „Duas fuisse recensiones certis argumen-
tis nondum ad liquidum perductum est, et, licet fuissent, non tamen putarem Aeschylum in altera tu-
bam Tyrrhenicam omisisse. Ceterum haec ratio emendandi ita commoda est, ut fere omnia vitia e
scriptoribus veteribus, si modo duas statuas recensiones, tollere possis.“ Commentationem quidem ad
Aeschyli Eumenidas a Doederlinio conscriptam non vidi, sed ex iis, quae Schwenkius commemoravit,
Doederlinium a parte eorum stare patet, qui duplicem Eumenidum recensioem statuunt. Testimo-
nia denique illa Boeckhiana duplicis Eumenidum recensioem etiam cum Boettigero Welkerus oppu-
gnavit, (Aeschyl. Tril. p. 519) atque Müllerus in Eumenid. a se editis utrique assentiri videtur.

Persarum quoque fabulae duplicem extitisse editionem Spanhemius monuit in Aduotatis ad Aeschyli
Persas; (v. Hauptii Pers. p. 163 sq.) versus enim ab Athenaeo III. p. 86. B. e Persis citatur, „qui ho-
die in hoc dramate Persarum non legitur. Unde liquet desumptum ex alia *διδασκαλία* hoc nomine edita
ab Aeschylō, ut liquet ex Schol. Aristoph. ad Ran. v. 1057.“ Scholii autem hujus haec sunt verba:
„*Αἰδύμος, ὅτι οὐ περιέχουσι θάνατον Δαρείου οἱ Πέρσαι τὸ δράμα. διὸ τινὲς διπλὰς θέσεις, τινέες
διδασκαλίας τῶν Περσῶν φασί, καὶ τὴν μίαν μὴ φέρεσθαι.*“ At quum plura paris argumenti ac nominis
dramata a diversis composita poetis citentur, (Athenaeus enim Lib III. p. 78. D. et Pollux Lib. VII.
c. II. Pherecratem, deinde Plutarchus in vita Philopoem. p. 360. C. Thimotheum, tum Etymologicum
Magnum Epicharmum Persarum dramatis auctores nominant,) dubitari jure potest, cuinam horum poe-
tarum ille versus tribuendus sit. Blomfieldius ad Pers. v. 897. cum Epicharmi esse censet. Ad
Scholion autem illud Hauptius in Quest. Aeschyl. Spec. IV. Excurs. p. 267. haec scripsit: „dubitari
licet, ane ad comicam fabulam ejus nominis ab Aeschylō ad Epicharmi exemplum compositam, aut
ad Epicharmi Persas, in Sicilia editam, haec pertineant. Nam quum uterque utique vir Sículus esset,
et alter alterum vitae studiorumque necessitudine in Sicilia adtingeret, ita ut summa artis dramaticae
aemulatione flagrarent: consentaneum vero est, et eos fabulis certasse paris argumenti ac nominis, et
eas fabulas posteriore aetate confusas esse.“ Atque quum uberius de duplici hujus fabulae recen-
sione disserendi esset locus, eam rem injudicatam Hauptius reliquit, nam „optandum,“ inquit, „est, ut
Hermannus suam de hac re sententiam aperiat.“ (p. 268.)

Quodam tantum modo Septem contra Thebas fabulam correctam esse idem vir doctus conten-
dit in Quaest. Aeschyl. Spec. III. Excurs. I. p. 309. sq. at non ab auctore ipso, sed a veteribus in-
terpretibus. „Est enim,“ inquit, „hoc drama magis quam alia Aeschyli omnia antiquitus interpolatum
et passim correctum. Cujus rei causa in eo fuit posita, quod hoc drama et ipsi auctori, teste Ari-
stophane in Ranis, et aliis praeter cetera imprimis placuit, unde evenit, ut certatim vel totum vel sin-
gulas particulas a veteribus laudatas videamus. Et quae interpolata sunt, eorum unum genus inte-
gris versibus continetur, secundum pluribus verbis conjunctis, tertium vocibus singulis, maxime par-
ticulis.“ (p. 309.) Quae interpolationes „documenta esse possunt fabulae a doctis interpretibus cor-
rectae et emendatae.“ (p. 311.)

Julius Richterius denique, cujus librum „de Aeschyli, Sophoclis, Euripidis interpretibus graecis“
anno 1839 conscriptum inspexi, iis adnumerandus est viris doctis, qui, ut Aeschyli fabulae quaedam
denuo docerentur, non tantum chorum in angustiores fines contractum atque unam alteramne par-

tem a posteris demtam esse, sed etiam ipsa verba correctata vel retractata atque expolita esse putant. (p. 10. cf. p. 16.)

Jam pergendum mihi est ad Sophoclem casque virorum doctorum sententias, quas memoratu dignas de hujus poetae dramatum duplici recensione in promptu habeam. Fabularum vero Sophoclearum ad nostra tempora superstitem duplicem habuisse recensionem Antigonom, Philoctetam, Trachinias et quodam modo Oedipum Coloneum a quibusdam creditum est. Quibus de singulis nunc exponam. Atque Boeckhius primus in capite XI. lib. I. p. 139. sq. argumentis satis idoneis fere evicit, Antigonom bis editam esse. Cujus disputationis haec fere summa est. Antigonom Olympiad. LXXXIV, 3. multo ante Oedipum Regem primum actam esse; sed postquam Callias grammaticam tragoediam ediderit, (de qua praeter Boeckhium egerunt Hermannus de ling. gr. dial. p. 10 sq. Pflugkius, Proem. ad Eurip. Med. p. 6. sq. Welckerus in Nov. Mus. Rhen. I. p. 137 sq. Schulzius, in vit. Sophocl. p. 84 sq. Heiglius, de Soph. Ant. et Electr. Cap. XIII.) quae ut syllaba in fine trimetri elideretur, praeceperat, Euripidem primum cantica in Medea ad illius regulas formasse, idemque a Sophocle in Oedipo Rege post Euripidis Medeam, h. e. post Olympiad. LXXXVII, 1. et in Electra et in Oedipo Coloneo factum esse; cum autem hujus elisionis vestigia et in Antigona reperiantur, bis putandum esse editam. Praeterea Boeckhius mortuum putat Sophoclem eo die, quo Antigona, qua lugeret Euripidem, correctata iterum commissa sit, „sive gaudio immodico correptum, sive alio quocunque casu.“ (p. 211. cf. Schulz. v. Sophocl. p. 81.) Sed nunc jam in opinione hac non amplius persistere velle Boeckhium, Wexius in Prolegomenis ad Antigonom anno 1829 a se editam (p. 37) docuit, qui vir doctissimus praeter alia et haec scripsit: „Num in repetita hujus fabulae commissione nonnulla mutaverit Sophocles, ut duplex ejus enata sit recensio, non audent nunc judicare Boeckhius, quia non insint in fabula additamentorum et mutationum vestigia.“ Ipse vero Wexius, qua sit opinione, disertis quidem verbis nusquam in medium protulit, attamen colligi potest ex iis, quae in Nota §. 18. p. 37 scripta sunt, eum duplicem Antigoniae recensionem statuuisse; „satis mirum est,“ inquit, „in omnibus Sophoclis codicibus deesse versum 1145, quem, quia in antiquis exemplaribus inveniri eum monent Eustathius et Athenaeus, editores addiderunt post οὐ τίθημι' ἐγώ etc. Quid? si Sophocles in altera editione, qua Euripidis mortem lugeret, aut omiserit eum, quia a spectatoribus referri posset ad Euripidem, aut aliud quid in ejus locum substituerit?“ (cf. Commentar. advers. 1145. p. 295. et Syllog. p. 270.)

Lachmannus quoque Boeckhio assentiens, in libro de choricis systematis p. 117. Antigonom bis editam esse opinatur; argumenta vero ex arte metrica sumta non attulit; „in diverbiis,“ inquit, „altera editione non multa mutata esse arbitror, si ex versuum conformatione hanc rem judicare licet.“ De Lachmanno hoc judicium fecit Wexius: „nobis quidem,“ inquit, „ex re metrica, argumento illo istoc quidem nomine et admodum dubio periculosae aleae plenum videtur aliquid evincere velle.“

Deinde non omittendus est Heiglius, qui in libro de Sophoclis Antigona et Electra Germanice conscripto et anno 1828 edito cum singulari quodam doctrinae apparatu magnoque conamine efficere ausus est, ut totam Antigonam, quam habemus, ab Jophonte, aut ab alio Sophoclis sectatore dilatam et, ut dixit, frigidam esse factam credamus. Antigoniae scilicet hujus Heiglianae textus monstrosus ex versibus 98. constat. (p. 219.) At satis mihi jam dictum sit de Heiglio, cujus de libro sic scrip-

sit Wexius: „non putaram certe hoc saeculo talem librum conscribi posse.“ Infra ejusdem Heiglii mentio denuo facienda erit. Non mihi affuit ejusdem viri docti liber, anno 1826 editus, quo Sophoclis Tradoedias superstites forsitan omnes retractatas correctasque ostendere voluit.

Tum Schultzius in libr. I. p. 81. „propter insignem gratiam ab Atheniensibus huic fabulae tributam saepius editam esse“ narravit.

Postremo Richterius in libr. I. p. 12. suam de secunda Antigoniae recensione sententiam his aperuit verbis: „Una Antigonia,“ inquit, „quantum scio bis ab eodem Sophocle docta est, si vera fabula, eum in tragodia denuo tractanda, sive histriones exercebat, sive ipse eam coram auditoribus legebat, esse morte abreptum. Duplicis tamen recensione indicia adhuc nulla reperta sunt.“

In Philocteta Jacobus (Quaest. Sophocl. p. 310.) aliquot versus spurios eosque pro novae editionis indicia habendos esse judicavit. Cur autem hanc correctam ab auctore esse fabulam Hermannus suspicatus sit, ipse in Praefatione ad hanc fabulam p. X. his significavit verbis: „statuendum,“ inquit, „videtur, fabulam hanc non uno tenore, sed per intervalla a poeta esse factam, quumque esset in scenam producenda, sicut erat traditam esse histrionibus, nondum ultimae manus lima perpolitam. Illud vero miror, quod non modo Sophoclis interpretes, sed ne Boeckhius quidem in eo libro, quem de tragodiarum interpolatoribus composuit, ad illud attenderunt, quod quaedam ex Sophoclis Philocteta afferuntur, quae non exstant in illa fabula. Vide Stobaeum S. CXX. 7. Hesychium v. *δράκοντα* et *δουλοπαγή στόλον*.“ Richterius denique in libro supra laudato Sophoclem, qui quatuor fere annis post actam fabulam mortuus est, Philoctetam corrigere et retractare non potuisse putat. (p. 13.)

Trachiniae fabula ab Schlegelio (Praelect. de art. dram. V. I. p. 195.) a Sophocle abjudicata atque Jophonti attributa, sed ab Jacobo (Quaest. Sophocl. p. 260 sq.) poetae restituta mirum praebet criticorum interpretationis exemplum, quo eam fabulam duplicem passam esse recensionem verisimile factum est ab Hermanno, qui in Praefatione ad hanc fabulam (p. XIII. sq.) haec scripsit: „Quod in non paucis veterum scriptis factum est, ut, quum duae eorum recensiones circumferrentur, discrepantia alterius in margine adnotata cum altera recensione in unum confunderetur, id etiam in Trachiniis factum esse persuasum habeo. Nam et scripturae quaedam diversitates in hac fabula inveniuntur, quae majores sunt, quam ut librariis imputari possint, et versus nonnulli in ea exstant, qui non aliter cum ceteris cohaerere videntur, quam si eos aliorum quorundam versuum loco positos statuamus.“ Quos autem sibi elegit Hermannus versus, hi sunt: vv: 7. 12. 84. 87 sq. 523—525. 784 sq. 894 sq. (294. 1107.) Hanc Hermanni sententiam commemoravit et collaudavit Schultzius in l. I. p. 80. Contra Hermannum autem disputarunt quatuor, quos novi, viri, primus A. Capelmannus; (*Allgem. Schulz.* Febr. Nro. 24. 25. Abthl. II.) secundus Const. Matthiaeus in libello anno 1832 edito, cui titulus est: *Quaestiones Sophocleae* p. 80 sq.; tertius Joh. Apitzius in *Adversariis ad Trachinias* anno 1833 a se editas; quartus Ed. Wunderus in „*Emendationibus in Sophoclis Trachinias*“ nuperrime conscriptis; quippe qui omnes ad unum duplicem Trachiniarum editionem concedendam esse negant fabulaeque hujus genuinam scripturam vel interpretatione adhibita, vel interpolationibus remotis, defendunt. Sed hanc rem pluribus attingere juvabit, quum, quae de hac Hermanni opinione sentiam, infra fusius expo-

nendum erit. Richter quoque hanc Hermanni opinionem improbens fabulam ab Grammaticis librariisve interpolatam esse credit. (p. 13.)

Non genuinam sed correctam nos legere Sophoclis Oedipum Coloneum nuperrime docuit Hermannus in Quaestionibus Oedipod. C. III. p. 43. ubi „Longe profecto,“ inquit, „facilius, hanc difficultatem ita expediemus, ut omnes locos, qui laudem aliquam Thebarum continent, a juniore Sophocle additos esse statuamus, qui cum fabulam ab avo relictam editioni pararet“ etc. (cf. Boeckh. p. 187.) Quae Hermanni sententia non tota congruit cum illa, quam in Praefatione ad hanc fabulam p. XII sq. protulit. Wunderus in Oedip. Colon. a se edito p. 27. Thierschium quoque citat, qui in Act. Philolog. Monac. T. I. Fasc. III. p. 328 sq. hanc fabulam ab Sophoclis nepote absolutam esse putaverit; Thierschio autem obloquitur Reisigius in Enarr. VIII. istiusmodi dictis quidquam profici, nullis in medium prolatis argumentis, negans.

Uberius jam disputarunt viri docti de fabulis Euripideis quibusdam, quarum duplicem extitisse recensionem demonstrarent. Sunt autem inter eos principes Valckenarius, Boeckhius, Hermannus. Atque fabulae, de quibus actum est ab iis, sunt Hippolytus, Medea, Iphigenia Aulidensis, Bacchae, Alcestis.

Primus quaestionem de duplici Hippolyti editione movit Valckenarius in Praefatione (p. IX.) ad Hippolytum, hanc fabulam a poeta retractatam et emendatam esse arbitratus. Argumenta vero, quibus id confici voluit, fere haec protulit: Hippolyto praefixum fuisse nomen Phaedrae; Eustathium enim binis locis (ad Hom. H. Z. et H.) laudare Euripidem in Phaedra, quaeque illic proferret, in Hippolyto reperiri; potuisse igitur, quandoquidem certo constaret duplicem extitisse dramatis editionem, priorem Phaedram, posteriorem Hippolytum inscribi, id quod, ut Casaubonus docuerit, (Anim. in Athen. L. III. C. CXXVIII.) a Comicis factum esset. Sed veteres utraque usos dramatis editione, priorem aequae atque alteram Hippolytum nominasse. (V. loc. in Stob. Floril.) Unum ex veteribus Pollucem (Onom. Lib. IX. segm. 50.) laudavisse Hippolytum priorem, nomine *Ἰππολύτου καλυπτομένου*, atque superstitem more Grammaticorum *Ἰππόλυτον δεύτερον*, sive ut Hesych. s. v. *ἀνασειράζων* et Priscian. (Putsch. ed. p. 1168.) fecissent, *Ἰππόλυτον στεφανηφόρον* dictam esse fabulam. Argumenti etiam scriptorem, ut a priore distingueretur editio secunda, *Στεφανίαν* appellasse fabulam. Pollucis loco primum usum esse Canterum, (Nov. Lect. L. VII. C. XXI.) qui duos suspicatus esset ab Euripide scriptos esse Hippolytos, sicut scripsisset Sophocles Oedipos duos itidemque Ajaces. Sed Bentleium (Epist. ad J. Millium p. 31 sq.) priorem Hippolytum et posteriorem non omnino diversas fuisse fabulas monuisse, et *Στεφανίαν*, quem legimus, non novum drama, sed correctum atque interpolatum esse. Diversarum autem fabulae editionum lectiones consignavit Valckenarius in Adnotationibus ad versus hos: 43. 68. 76. 79. 113. 230. 233. 388. 431. 474. 522. 601. 744. 792. 809. 821. 826. 901. 1053. 1183. 1253. 1321. 1369. 1398. 1465.

Boeckhius in his fere omnibus Valckenario consentire videtur, nam in libro suo p. 180. „Hippolyti,“ inquit, „duae fuerunt editiones, altera *καλυπτομένου*, altera *στεφανηφόρου* nomine insignita, ex quibus illa deperdita est, haec adhuc servatur, atque ab Auctore Argumenti dicitur esse τῶν πρώτων etc.“

Richter in lib. I. p. 14. „diversa fuisse,“ inquit, „dramata (Hippolytum priorem et posteriorem) testantur schol. Theocrit. (Id. II, 10.) Plutarch. moral. (p. 28. a.) Pollux, (IX. 50.), testantur fragmenta apud Stobaeum, Erotianum, Just. Mart., majora ea, quam quae ad fabulam nova recensione retractatam pertineant. Utraque fabula servata erat et commentariis instructa. Ergo mutationes atque emendationes Euripidis, si quae fuerunt, tantas fuisse oportet, quae fabulam penitus novam atque incognitam redderent Atheniensibus.“

Inter correctas Euripidis fabulas Boeckh in libri sui capite XIII. p. 164 sq. posuit Medeam, quam quin Euripides ipse correxerit, non dubitat. Atque ex veteribus summos auctores adduxit testantes primum Argumenti scriptorem, tum Aristophanem, Medeam Euripidi majori tribuentem, quamquam apud Suidam eam minoris Euripidis esse legitur, deinde Hesychium s. v. ἀπαιώνιστον, denique Aelianum (V. H. V. 21.) et Parmeniscum, (in Schol. Med. v. 9.) qui accepisse Euripidem a Corinthiis V talenta tradunt, ut Medeam ipsam faceret suos liberos interficientem, quos secundum alios Corinthii jugulavissent, quod Corinthii non nisi in altera editione facere potuissent, neque enim in priore consilium poetae iis innotescere potuisset. Itaque iteratam editionem conjecit Boeckh a majore Euripide factam esse, quod et Musgravio ad Med. v. 1344 visum est. Postquam Aeliani, scholii ad l. c. et Pausaniae II. 3. 6. verba descripsit, versus 1381 sq. conjecit ex priore editione, in qua Corinthii pueros Medae occiderant, relictos esse, „sive,“ ut ait, „incuria, sive alia quacunque de causa; id quod statuunt et Musgravius et Boettigerus. Hemsterhusius quoque glossam ἀπαιώνιστον in Κόρινθον ἀπαιώνιστον corrigens, notat una esse id ex priore Medea.“ Sed praeterea alias quoque utriusque recensione diversitates investigavit Boeckh, „plura enim,“ inquit, „ex Medea Euripidis proferuntur, quae in nostra nusquam reperiuntur, ea censeo ex priore sumta esse.“ Tales vero versus citantur in schol. ad Aristoph. Acharn. v. 119; item in Stob. Serm. LXXVI. p. 453, et a Plutarcho.

Denique lectionum varietate Boeckh sententiam suam adjuvit, assentiens Porsono, qui ad vers. 300. Scholio ad Aristoph. Thesm. 1141 citato, „credo equidem,“ inquit, „hanc lectionem esse ex Euripidis ipsius curis secundis profectam.“ Atque ad vers. 1314. „existimo, Euripidem primo scripsisse, quod in margine posui, deinde ab Aristophane propter duriorum metaphoram traductum vulgatam lectionem substituisse.“

Wolperus in Commentatione „de Medea Euripidis, Tragoedia correctae atque denuo editae,“ (1825.) Boeckhium sequutus, hanc fabulam, quam Hier. Müllerus (*Medea, eine Tragödie aus dem Griechischen übersetzt. Erf. 1811.*) spuriam nec ab Euripide profectam esse contendit, re vera ab Euripide majore compositam esse, (p. 58.) sed secundam nos ejus habere editionem ex curis Euripidis ipsius ortam demonstrare conatus est, (p. 67 sq.) quod ut efficeretur, argumentis jam a Boeckhio prolatis addidit Aristotelem testem, (Poet. 18. 12.) unde conclusit, „in prima editione numen quoddam ad finem in scenam adductum nodi vindicem fuisse, et hanc fabulae adornationem postea immutatam esse.“ (p. 60 sq.)

Osannus quoque (Analect. critic. p. 79.) duplicem Medae recensione statuit, sed fabulam superstitem ex utraque recensione esse conflata. „Simile enim veri,“ inquit, (p. 83.) „non videtur, Euripidem suae fabulae prioris loca ab Aristophane acriter tentata et castigata in posteriori non im-

mutasse aut omisisse plurima.“ Et paullo inferius sic pergit: „at plura loca, quae a comico perfri-
cata esse infra elucebit, in nostra Medea leguntur: Euripidem, cui ne repetitis illis ad verbum locis
palam elusis populo audienti vel legenti risum ac cachinnum moveret, dum tragicum et severum ageret,
cavendum erat, haec loca quum denuo opus retractaret mutasse dicis.“ Itaque duplici recensione hos,
qui sequuntur versus Osannus tribuit: 30. 58. 107. 257. 281. 297. 392. 506. 528. 540. 574. 581.
595. 701. 736. 747. 876. 877. 1032. 1033. 1053. 1120. 1152. 1196. 1217.

Boeckhio plurimi virorum doctorum obloquuti sunt. Elmsleius Boeckhii sententiam prosus repu-
diavit. (Annot. ad v. 293. 1284.) Hermannus in Censura ad Medeam ab Elmsleio editam (Op. T. III.
p. 256, et in Elmsl. Med. p. 406 sq.) correctionem fabulae constituisse in dictione expolienda dixit, in
ceteris Persono assentiens. Rationem quoque Wolperi ex Aristotelis poet. ductam refutavit; tum his-
triones etiam mutavisse, teste adhibito scholiasta ad vers. 85. 383. 899. putat. Ab ipso autem Euri-
pide versus 760 et 1284 correctos esse credit. Atque exempla scripturae insignius variantis exstare
scripsit: vv. 240. 496. 518. 651. 689. 718 sq. 729. 760 sq. 798. 876. 880. 885. 974. 1012. 1016.
1030. sq. 1046. 1153. 1175. 1176. 1184. 1196. 1203. 1264. 1284.

Matthiacus in Notis ad Medeam (V. VI. p. 423. sq.) et ad Iphigeniam Aulidensem (V. VII. p.
320 sq.) suam depromens sententiam de duplici fabularum Euripidearum recensione prosus rejecit,
illam doctorum virorum opinionem atque argumenta eorum refutare studuit. Quam vero viam in
disputatione ad Medeam ingressus sit, haec fere indicent. Postquam enim sententias, quas de Eu-
ripidis Medea Petitus (Misc. lib. VI. c. 15.) et Manutius (ad Cic. epist. ad Div. VII.) protulerant,
tanquam obsoletas designavit, argumenta, quibus ad demonstrandam duplicem Medae recensionem
usi sunt Porsonus, Osannus, Boeckhii, Boettigerus, singulatim examinavit, atque ea non satis gra-
via esse censuit. Porsoni, quae ad v. 300 et 1314 attulit, oppugnans, inde nihil aliud sequi dixit,
„nisi Euripidis fabulae retractandae studium intra singulorum verborum emendandorum curam substi-
tisse atque talem correctionem fere omnes fabulas passas esse.“ Osannus vero et Boeckhii quae
duplici tribuerunt recensione, diversas esse lectiones putat, atque argumentis ab iis ad rem comproban-
dam allatis suo more refutatis, finem refutationi his imposuit verbis: „Ita quocunque,“ inquit, „te ver-
tas, nusquam sunt argumenta satis gravia, quibus duplicem Medae editionem demonstretur, atque nul-
lam aliam praeter hanc Euripidis Medeam fuisse credere licet.“

Bergerus in peculiari dissertatione de Medea Euripidea contra Boeckhium disputavit atque fabu-
lam hanc ab histrionibus interpolatam esse contendit.

Pflugkius in prooemio ad Medeam (p. 7 sq.) ancipitem, ut ait, de duplici quae fertur Medae edi-
tione quaestionem quam fieri potuit brevissime tractans, nihil novi ad rem attulit. Qui neque argu-
menta, quibus Personus usus est, satis gravia esse censet, neque vim aliquam habere, quae Osannus
depromsit, neque Boeckhio in iis, quae ad vers. 1381 sq. disputavit consentit, his claudens refutatio-
nem suam verbis: „Quae cum ita sint, eo revolvimur, ut alia circumspectanda sint argumenta, quibus
id demonstretur.“ Argumenta vero ex versibus a Stobaeo Tit. LXXVIII. citatis et ex fragmento In.
CXI. petita non ejusmodi esse censet, ut illud, quod inde effici velint, necessario concedendum sit.
„Hesychii,“ inquit, „locum s. v. ἀπαιώνιστον corruptum esse, collato codic. Venet. intellectum est.“

Atque citato scholio Aristoph. Acharn 119. haec addit: „Hoc igitur uno auctore non credo repertum iri, qui secundis curis correctam extitisse Medeam existimet, neque dubito, quin, qui istos homines norit, memoria lapsus esse scholiastam, Elmsleio concedat.“ Sed et quae Parmenisci scholio Boeckhii ad v. 10. effici voluit, Pflugkius tanquam minus probabilia refutavit, quo etiam crepto praesidio, totam illam de duplici editione opinionem relinquendam esse censet.

Zirndorferus in libro „de Chronologia fabularum Euripidearum“ 1839 edito disputandi ratione Bergeri, quocum quod ad summam ejus disputationis attinet consensit, non satis contentus, denuo de hac re contra Boeckhium, Wolperum et Osannum accurate, ut ipse ait, egit, in qua disputatione Bergerum, Hermannum et Pflugkius sequutus eorum sententiis alias satis probabiles addidit, ut argumenta, quibus illi usi sunt, aut debilitaret aut refutaret. (p. 14 sq.)

Postremo non praetereundus est C. G. Firnhaberus, qui nuperrime librum Germanice conscripsit: „Die Verdächtigungen Euripideischer Verse beleuchtet und in den Phönissen und der Medea zurückgewiesen,“ ut in eo, interpretatione allata, ostenderet, versus, qui aut interpolati aut alia de causa suspecti a viris doctis habiti essent, genuinos atque ab Euripide ipso profectos esse. (p. 129 sq. cf. Witschelii Censur. Jahns Jahrbücher 11ter Jahrg. Bd. 31. 1tes Heft. p. 3 sq.)

De duplici Iphigeniae Aulidensis recensione quaestionem primus Musgravius instituit, qui metricis motus rationibus bis editam fabulam hanc suspicatus est, quae ab anapestis incipiat, quum Sophoclis et Euripidis fabulae omnes a jambis incipiant. Cui addenda sunt, quae Hermannus in Censura notavit p. 1972 ad v. 49. 115. Musgravius vero adstipulati sunt Marklandus, Prevostus, Eichstadius, (de dram. graec. comico. satir. p. 99.) Jacobsius: (Additam. ad Sulz. Theor. T. V. P. II. p. 401. Exercit. crit. in script. vel. I. p. 93.) Accuratissime autem in hoc argumento versatus est Boeckhii, cujus argumentationis haec fere summa est. (Cap. XXII. l. 1) Primum ab Aeliano Hist. Anim. VII. 39. ex Euripideo Iphigeniae Aulidensis prologo deperdito versus profert; tum glossam Hesychii ἄρχαιον, ἀπρόσκοπα, quae nusquam in fabula nostra reperiuntur. Deinde idoneis demonstrat argumentis eam, quae nunc fertur, fabulam prologum habere non potuisse, quia, quae vers. 49 — 114 contineantur, in eo esse oportuerit, „at Euripidis,“ inquit, „fabulam sane prologum habuisse apparet ex Aeliano; itaque duae fuerunt editiones fabulae, quarum altera habuit prologum, altera prologi loco Agamemnonis verba, quae nunc leguntur, posita.“ Denique verba Eichstadii eadem sentientis descripsit atque sic pergit: „Aeliani locus magnam mihi suspicionem movit, duplicem olim extitisse Iphigeniae Aulidensis editionem, cujus e priore, quae interiit, desumpti etiam videntur versus, quos Aristophanes in Ranis v. 1345 facete et perfricte notavit, et si duplex fuit Iphigeniae Aulidensis recensio, probabile est bis fabulam esse commissam.“ Ceterum fabulam hanc correctam et iteratam esse ab Euripide minore putat. Versus autem in Iphigenia Aulidensi Boeckhio suspecti hi sunt: 6. 33. 71. 75. 77. 280. 378. 391. 408. 450. 509. sq. 543. 577. 792. 824. 891. 1134. 1242. 1344. 1573.

Hanc Boeckhii sententiam in universum Bremius amplexus est, (Symb. ad Philolog. Helvet Tit. I. p. 143 sq.) qui argumentandi rationem Boeckhianam rejiciens, aliis argumentis idem fere quod Boeckhii assequutus est, qua in re Hermannum censorem assentientem habuit. (in Ephem. Lit. Lips. 1819. Nro. 247 — 249.)

Prorsus diversam sententiam proposuit Matthiaeus, qui lectores in Euripidis Iphigeniam Aulidensem introducens (T. VII. p. 320 sq) ea, quae afferantur ad duplicem fabulae recensioem demonstrandam non magnam vim habere censet. Omnium autem levissima ei esse videntur, quae Boeckhii e singulis vocibus et diversis lectionibus petierit, argumenta. Nullo enim valido probatum esse argumento, Iphigeniam Aulidensem ante Aristophanis *Ranas* actam esse dixit, atque sententiam suam de hac re hanc protulit: „Equidem censeo,“ inquit, „hanc fabulam, quae non vivo Euripide, sed post ejus mortem demum acta sit, ab auctore imperfectam et inchoatam relictam esse, ita ut nonnulla quidem cum cura elaborata essent, alia vero secundis curis relictam, nonnulla etiam fortasse bis diverso modo scripta, quae deinde auctor retractans ea eligeret, quae maxime probaret, quae reperiri poterant, ea deinde ab Euripide minore ita coagmentata esse, ut justa fabula agi posset; quum vero vestigia inessent operae non absolutae, quae deesse viderentur, aliter ab aliis expleta esse.“

Aliter de Iphigeniae Aulidensis forma, qua hodie hanc fabulam legamus, Hermannus statuit, primum in Praefatione ad Aristophanis *Nubes* p. XXV, ubi haec scripsit: „etsi,“ inquit, „Iphigeniam Aulidensem et *Bacchas* fabulas in urbe actas scribit scholiastes Aristoph. ad *Ran.* v. 67. tamen non certum est de iterata eum commissione loqui;“ deinde in Praefatione ad *Iphig. Aulid.* p. XXII. sq. XVIII. XXXI. (cf. *Op. T.* III. p. 268. *Elem. doctr. metr.* p. 547. 725. et *Lachmanni de chor. syst. tr.* p. 143.) eam non posse pro nova recensione haberi dixit, sed veterem esse tragoediam fine truncatam, cui quae defuissent, aliquot post Euripidem saeculis ignotum scriptorem adjecisse, qui eam paucis quoque aliis locis aliquot versuum accessione auxerit; atque nos illum codicem superstitem habere, in quo iste recentior homo mutilam fabulam adauxerat.

Boeckhio etiam oblocutus est M. Seyffertus in *Quaestiuncula peculiari de duplici Iphig. Aulid. recensione* a. 1831. Halis edita, qua vir doctissimus sibi demonstrandum sumsit, nos fabulam, qualem nunc habeamus, sive ab histrionibus, sive a Grammaticis dupliciter interpolatam legere.

Hartungius, qui duplicem fabulae nostrae recensioem in editione sua a. 1837. cum Hermanno prorsus negat, eam ab homine neque poeta neque scriptore, sed versificatore aliquo extremis antiquitatis temporibus corruptam esse contendit. Contra hanc Hartungii sententiam fortiter arma gessit Witschelius. (*Jahns Jahrb. B.* XXVII. *Heft* 2 p. 50 sq.)

Gruppius Chaeremonis fabulam hanc esse ostendere conatus est, (*Ariadne* p. 462 sq.) fretus Athenaei testimonio, (*Athen.* XIII. p. 562.) cujus tamen sententiam H. Bartschius in dissertatione de *Iphig. Aulid.* auct. 1837 refutavit, atque Chaeremonem, ut ait, ad inferos relegavit, argumentis satis probabilibus demonstrans, hanc *Iphig. Aulid.* esse eandem eundemque ejus auctorem, quem significavit schol. ad *Aristoph. Ran.* v. 67. (p. 49. cf. p. 30.)

Has virorum doctorum dissensiones de genuina hujus fabulae forma sensim exortas Zirn-dorferus inter se componere studuit in dissertatione inaugurali „de Euripidis Iphigenia Aulidensi,“ (1838.) cujus partes primarias fere integras repetiit in libro supra laudato; (p. 88 sq.) atque disputationis suae summam ipse his protulit verbis: (p. 90.) „Mihi quidem,“ inquit, „omnia optime explicari posse videntur, si statuimus: revera Iphigeniam Aulidensem ab Euripide ipso compositam esse, deinde autem post ejus mortem a minore Euripide, sive illius fabulam multis in rebus mutarit, sive plane

novam fecerit, idem argumentum tragoediae tractatum esse, tandem posteriore tempore et certe quidem post Aelianum, quum celebris Euripidis fabula casu mutilata et detruncata esset, a grammatico aliquo, eoque non nimis docto et erudito, hujus tragoediam ex minoris Euripidis Iphigenia, quam etiam integram habuerit, suppletam et resartam esse, sed ita quidem, ut ubi connexus hoc postulare videretur, etiam de suo nonnulla adderet, et nos quidem nunc habeamus tragoediam ex duabus compositam et a grammatico interpolatam. Cujus sententiae primam partem externo argumento, scilicet scholio ad Aristoph. Ran. allato et voce *δμωνύμως* explicata, comprobare conatus est. Secundam autem sententiae suae partem, qua fabulam ex duabus compositam et a grammatico quodam interpolatam esse contendit, probari posse scripsit internis tantum argumentis, quae petiit primum a fabulae prologo, quem ab Euripide majore jambis scriptum esse Boeckhio, Bremio et Hartungio consensit, alterum interpolationis vestigium in altera parodi parte (v. 231 sq.) posuit, ubi enumerantur naves Graecorum non sine magno, ut ait, consensu cum iis, quae ab Homero secundo Iliadis libro traduntur, quam partem ab Euripide minore factam esse cum Boeckhio putat; tertium sententiae suae argumentum ea ex re petiit, quod satis magnus versus numerus in hac fabula inveniatur, quibus bis eadem enuntiantur, ac sic quidem, ut comparatis versibus utrinque sibi respondentibus, alteros genuinos, alteros spurios esse appareat. Praeterea sententiam suam ea re confirmavit, quod eorum, quae hac in fabula non genuina esse videantur, nonnullos versus satis probabiliter esse factos, nonnullos vitiorum enormitate insignes Hermannus monuerit; ultimum denique argumentum petitum est ex descriptione morum Achillis, qua in causa nostra fabula tam parum sibi costare videatur, ut is, qui multis verbis ad tedium usque se Iphigeniam servaturum dixerit, in fine etiam in illa immolanda alios adjuvet. (p. 99 sq.)

Huic Zirndorferi sententiae obloquutus est Witschelius, (*Jahns Jahrb. Jahrg. 1838. B. XXVII. p. 181 sq.*) nam illo scholio ad Aristoph. Ran. post mortem poetae cognatos ejus, aut alios scriptores fabulam hanc correxisse et emendasse demonstrari non posse contendit, neque iis, quae internis Zirndorferus effici voluit argumentis, Witschelius assensit, atque alia non minus probabilia opposuit.

Postremo Richter in libro laud. (p. 15.) suam de hac fabula depromens sententiam „ipsum,“ inquit, „Euripidem recensuisse fabulam et correxisse, nemo quantum scio demonstravit.“

Bacchas geminam habuisse recensionem Boeckhio in capite XVIII. libri sui his conjecit causis: Quum una cum Alcmaeone et Iphigenia Aulidensi commissa Bacchae sit et ambae non novae, sed repetitae fuerint fabulae, consentaneum est, Bacchas quoque non tum primum, sed secundis curis actam, atque recensionem, quae superest nobis, secundam esse. Duplicis autem editionis indicia haec exhibet Boeckhio: nomen duplex Baccharum et Penthei, quo titulo tragoedia notatur, ut Hippolytus et Phaedra; deinde inveniuntur loci ex Euripidis Bacchis citati, qui haud reperiuntur in nostra, e. g. in schol. Aristoph. Plut. v. 908. versus, qui nusquam legitur, et in Glossario Sangermanensi verbum in hac fabula nusquam obvium citatur. Suidas quoque affert Theognidis versum, quem Euripidis esse dicit; idem s. v. *Αρίσσιππος* profert duos Euripidis versus, quorum prior est Bacch. 839, alter deest; hos igitur olim in Euripide lectos, posthac vero mutatos esse in recensione iterata, statuendum est.

Versus autem, qui Boeckhio suspecti videntur esse, hi sunt: 20 sq. 102. 126. 150. 449. 451. 694. 708. 833. 887. 1027. 1177.

Hermannus in Baccharum editione semel tantum, quantum scio, Boeckhianae conjecturae mentionem fecit, ad v. 20. „Ingeniosa,“ inquit, „haec est, sed tamen parum probabilis conjectura, quod tota illa duplicis recensio suspicio tam debilibus fulta est argumentis, ut accuratius considerata evanescat.“

Matthiaeus in Notis ad Iphig. Aulid. (T. VII. p. 325.) „ex scholio,“ inquit, „ad Aristoph. Ran. v. 67. eodem jure confici non potest, Baccharum duplicem recensioem fuisse, quo neque ex auctore argumenti Sophocl. Oed. Col. duplicem Oedipi Colonei recensioem effici; neque ex Suida s. v. *Εὐφορίων* correctas patris fabulas in scenam produxisse Euphorionem demonstrari potest.“

Zirndorferus denique in lib. I. p. 104 sq. Boeckhio adstipulatus, locum ex fragmento in scholiis ad Phoenissas v. 3. inventum iis addidit Boeckhianis, quae in Bacchis non reperiuntur, toto vero scenae ultimae habitu offensus posteriorem tragoediae partem ex minoris Euripidis fabula petitam esse coniecit, atque statuit, nos hac in fabula habere confusionem duarum recensioem, sed ita, ut major pars revera genuina sit. Nihilominus autem in priore fabulae parte multa esse interpolata censet, imprimis in colloquio Penthei et Dionysi, quod comoedia quam tragoedia dignius esse dixit.

Per pauca tantum afferre possum de duplici Alcestidis recensione a viris doctis in medium prolata, quae fere omnia jam Pflugkius in prooemio ad Alcestin breviter enarravit. Hermannum unum novi, qui hac de re duobus in locis verba fecit, in Praefatione ad Euripidis Alcestin, p. XIII. ubi haec scripsit: „Quo tempore edita sit Alcestis non constat, nisi priorem esse Acharn. Aristoph. i. e. Olympiad. LXXXVIII. 3. idque etiam versuum numeri comprobant. Sed e codicum discrepantia colligi potest, postea passim correctam iteratamque esse in scenam productam, quod factum esse post Olympiad. LXXXIX. ex versibus 376. 377. quales non habuit antiquior tragoedia, colligi potest.“ Et in Censura in Medeam (Op. T. III. p. 149.) „Meminerint,“ inquit, „lectores, caute in hoc genere (scilicet in tempore tragoediarum ex scribendi incuria constituendo) procedendum esse in iis fabulis, quae caeteroquin purae, hic illic tantum negligenter scriptae videntur, ut Alcestis, quam putamus bis editam esse, et iterum quidem eo tempore, quo jam irrepserat ista incuria.“ Etiam nunc Hermannus superesse vestigia duarum recensioem suspicatus est in vv. 55. 820. 883. 1105.

Pflugkius autem hac de re hoc profert iudicium: „de his rationibus, quid alii iudicent nescio: mihi nec temere contemnendae, nec tam validae videntur, ut, quod voluit obtinuisse Hermannum credam.“

Sequitur jam, ut ad eam expositionis aggrediar partem, quae ad duplicem Aristophanis quarundam fabularum recensioem pertinet. Quam ad rem Didascaliae, Grammatici, Lexicographi Commentatoresque veteres tantum attulerunt lucis, ut his testibus cognitis, nullus hac de re dubitandi locus relinquatur. Itaque quinque Aristophanis Comoedias nobis superstites duplices passas esse editiones constat, quarum prima Plutus est, ceterarum vero nomina ex ordine ab Dindorfio insignito sunt haec: Pax, Thesmophoriazusae, Nubes, Ranac, Vespae, de quibus singulis breviter expositurus sum. Etenim postquam Casaubonus in Adnotationibus ad locos Athenaei nonnullos primus hic illic duplicis

Pluti recensiois mentionem fecit, Hemsterhusius in Pluti editione sua hujus rei argumenta satis probabilia in Notis passim congegit, quae si inde excerpantur, haec fere sunt: Duas Pluti recensioes fuisse, testatur auctor argumenti fabulae tertii, (ed. Hemst. Schaefer. 1811. quarti ed. Bekker.) qui „Τελειταίαν,“ inquit, „διδάξας τὴν κομωδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι etc.,“ testantur quae sequuntur scholia: ad v. 115. „μεταπεποιήται δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ δευτέρῳ,“ quod Hemsterhusius his prosequitur verbis: „de duplici vero Pluto, et scholiis ad utramque fabulae editionem diversis, quia res est paulo difficilior, nodoque non uno intricata, alibi de industria latius egemus.“ (p. 39.) Atque idem se facturum esse vir magnus pollicitus est ad schol. v. 802. (4.) (p. 270.) quod num. fecerit nescio; Scholion ad v. 173. „δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι etc.“ cujus auctorem scholii Hemsterh. primum Plutum ad manum habuisse putat; (p. 53.) Scholion ad v. 973. „Τοῦτο δὲ ἀφ’ ἐτέρου ἐστὶν ἐρμηνεύσαι,“ cui Hemsterh. „consequitur,“ inquit, „scholion esse unius grammatici, qui primum Plutum sub oculis habuit;“ (p. 341.) denique scholion ad v. 1147. „τοῦτο οὐκ ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκῶν ἐνθάδε,“ ad quod Hemsterhusius scripsit: „Id liquido patet, quod auctor hujus adnotationis existimaverit, primum se Plutum manibus versare.“

Quantopere autem Hemsterhusius persuasum habuerit, Plutum bis editam esse, praeterea colligi potest ex iis, quae scripsit in Adnotationibus ad vv. 505. 581. 660. 742. 816. 825. 1014. et ad scholia vers. 179. 550. 718. 1194.

Fischerus Hemsterhusio fere in omnibus adstipulatus irrepsisse nonnullis locis versus et verba prioris Pluti in secundum censet, ut v. 115. 119. 216.

Beckius in Commentariis ad Plutum p. 1 sq. praeter ea, quae ex Hemsterhusii Notis praemisi, nihil novi attulit. „Plutus Aristophanis,“ inquit, „duplex fuit, prior et posterior. Quae hodie exstat fabula, ex priore et posteriore mixta videtur.“ Attigit hanc rem paucis verbis etiam Wolfius in Praefatione ad Nubes p. 1.

F. Ritteri de duplici Pluti editione optime, ut ait Dindorfius, conscriptam dissertationem, quae Bonnae 1828 prodiit, quamvis data opera, inspicere non licuit.

His denique addenda sunt, quae Dindorfius ex Aristophanis Pluto priore fragmenta publici fecit juris, (Frag. I—IV. p. 78 sq.) ubi sententiam suam de duplici Pluti recensione (p. 11.) his protulit verbis: „Non de Pluto,“ inquit, „nullus relictus est dubitandi locus, cujus fabulae editio altera, quae ad nostram aetatem pervenit, Olympiad. XCVII. 4. commissa ab editione prima viginti annorum intervallo disparata fuit. In quae tempora ut multae et magnae Athenis inciderunt rerum publicarum omnium conversiones, ita etiam comoedia tantum de veteri amisit splendore, ut qui Plutum cum reliquis quae supersunt Aristophanis fabulis contendere instituat, vix eundem agnoscere videatur poetam.“ (cf. Praef. Wolfius ad Nubes p. 1 sq.)

De repetitae Pacis recensione pauca quidem, sed satis probabilia memoriae prodita sunt. Beckius in Commentariis ad Aristophanem V. IV. p. 357. Pacem fabulam Olympiad. LXXXIX. Dionysii τοῖς καὶ ἄστν actam esse scripsit; quo nomine Aristophanem etiam alteram inscripsisse, „de qua,“ inquit, „ambigitur, an sit prioris διασκευῆ atque retractatio tantum, an vero prorsus nova. Crates tamen Criticus aliam omnino a priori esse vult.“ Dindorfius autem Pacem non primitiva forma,

sed multis locis correctam iterum actam esse vult. (Aristoph. Fragm. p. 12.) Cujus rei duos gravissimos existimat testes, scriptorem argumenti in fabulam superstitem et Pollucem X. 188. Praeterea vero cavendum esse monet, „ne fraudem nobis fieri patiamur, si quae ex Pace afferunt, quae in superstite editione non legantur,“ ut fecit Eustathius p. 1291. 26. quem locum ad Pacis superstitis versus 1156. pertinere Dindorfius censet. Eodem modo erravisse Eustathium putat, qui p. 1573. 20. locum ex Pace descripsit, quam cum Horis permutaverit. Atque haud minus esse suspectos Stobaei versus coniecit, qui leguntur in Vol. II. p. 406. (ed. Gaisford.) quos Dindorfius his prosequitur verbis: „Postremi tetrametri in Pace leguntur v. 560. ut plane non dubitari possit, quin lemma Ἀριστοφάνους Εὐθύνης dehinc in superiorem locum migraverit.“ Hunc Stobaei locum Seidlerus quoque Paci secundae tribuit. (Commentar. ad Aristoph. Vol. VII² p. 191.)

Aristophanis Thesmophoriazusas bis editas esse, certissima constat auctoritate. Casaubono jam ad Athenaeum lib. I. c. 23. fabula superstes esse prior, non posterior, visa est. Petitus (Misc. lib. I. c. XIII. Commentar. in Aristoph. Vol. VI. p. 292 sq.) eam renovatam iterumque editam itaque novam plane fuisse fabulam, non prioris emendationem putat. Testes autem iteratae fabulae nominat Athenaeum, Pollucem, Harpocrat. Suidam. Quibus Kuesterus addidit Gellium lib. XV. c. XX. et Clem. Alexandr. Strom. I. VI. p. 628. Dindorfius denique editionem alteram a priore penitus diversam esse ostensurus (Fragm. p. 11.) Athenaei repetiit locum, (I. p. 29.) atque fragmenta secundae recensionis XXIV. collecta digessit. (p. 239 sq.) Fritschii dissertationem de Thesmophoriazusi Aristoph. posterioribus (Rostok. 1831) legere non licuit.

De duplici Nubium recensione plurima eaque in diversissimas partes disputata sunt a viris doctis, quorum sententiis a Beckio in Commentar. ad Aristoph. T. II. p. 29. sq. expositis addenda ea tantum esse putavi, quae Hermannus in Praefatione ad hanc fabulam a. 1830, et Dindorfius in Aristoph. fragmentis nova attulerunt, neque omittenda, quae disseruerunt in contrariam partem Wilandus (Att. Mus. T. II. P. III. p. 67 sq.) et Esserus in ea dissertatione, quam de prima et altera quae fertur Nubium editione conscripsit. Sed Petiti sententia non praetereunda est, qui (Misc. I. I. c. 6.) hac de re haec fere exhibuit: Editionem Nubium iteratam eandem paene esse fabulam quam priorem, pauca enim esse immutata, quaedam expuncta, alia vix interpolata, eaque vel in serie et ordine vel in personis. Fabulam, quam habeamus, ex utrisque Nubibus esse conflata, vel hinc colligi posse, quod in editione Nubium posteriore immutata sit chori parabasis. Primum editam esse fabulam Olympiad. LXXXIX. 1. Isarcho praetore, retractatam anno sequenti, Aminia praetore, denique postquam docuisset Eupolis Maricam, Alceo archonte, tertium correxisse correctamque descripsisse poetam, nec tamen in scenam produxisse.

Wilandus in lib. I. ex ipsa parabasi intelligi posse contendit Dacierium errasse, nos secundam Nubium recensionem habere opinantem; ex ea enim patere: 1. in secunda editione nec faces domui admotas, nec ἰὸν, ἰὸν clamatum, nec phallum exhibitum, nec Cleonem conculcatum esse; his autem contraria in nostris Nubibus deprehendi, (v. 732.) ergo primam hanc esse editionem. 2. Iterum Nubes non potuisse Ol. LXXXIX. 2. Aminia archonte in scenam committi, quidquid in Didascaliis dicatur. Eupolin enim Maricam, quae in parabasi laudetur, mortuo Cleone, Olympiad. LXXXIV. 4.

demum edidisse. 3. Parabasin quidem scriptam esse a poeta, ut novae editioni inserviret fabulae, hanc tamen non actam esse.

At Hermannus in Praefatione ad Nubes firmissimis confecit argumentis, ut bis edita haec fabula appareat. Cujus disputationis Hermannianae quatuor partes distingui possunt. Primum enim quando Nubes actae sint ostendit; (p. 13.) tum definivit, quo sint tempore singulae fabulae partes correctae (p. 14 sq. 22. 27 sq.) deinde causas exposuit, quibus fabula displicuerit; (p. 43.) denique fragmenta secundae examinavit editionis. (p. 15. 28 sq.) Sed aliter, ut Hermanni utar verbis, de his disputavit in ea disputatione, quam supra dixi, Esserus, qui demonstrandum sibi sumsit, secundam Nubium editionem nusquam nisi in cerebro scholiastarum extitisse, hanc autem, quam habeamus, priorem esse et genuinam non retractatam a poeta, aut alia quacunque ratione constructam. Esseri autem argumentandi haec est ratio: Iterum actas tradit scholiastes archonte Aminia, qui Isarchum, quo primum illas actas constet, exceperit, atqui Aminia archonte produci in scenam non potuisse, ergo non esse iterum actas. Lenaeis eo anno actas esse Vespas; non ergo illo quidem festo Nubes. Porro non esse Anthesteriis actas, quia eo festo nullae actae sint commoediae, nec denique Dionysiis urbanis, quod iis nisi novae fabulae in scenam non prodierint. Sed, quoniam e parabasi colligi videatur, voluisse Aristophanem fabulam illam emendatam quidem iterum in scenam producere: haec tria sibi Esserus proposuit demonstrare: 1. in parabasi non loqui poetam de emendatis Nubibus; 2. falsa esse, quae de correctionibus scholiastae referant; 3. versus, qui ex primis Nubibus afferantur, ex turbulento fonte manare. Hasce disputationis Esserianae partes Hermannus singulas perlustravit firmissimisque argumentis refutavit. (p. XXIII sq.)

Welkerus et Reisigius sese etiam a partibus stare confessi sunt eorum, qui num omnino Nubes correctae fuerint dubitant. (Mus. Rhen. II. fasc. 2.)

Fritschius in Quaest. Aristoph. suis p. 57. sq. Nubes, ut fabula penitus nova redderetur, ab Aristophane ipso mutatam et emendatam esse demonstrare voluit.

Dindorfius denique in Aristoph. Fragm. p. 15 sq. nihil nisi res quaestionis gravissimas tangens testes nobilissimos duarum fabulae recensioneum Eratosthenem et Athenaeum commemoravit. Atque Aristophanem scripsit, quum primum fabulam minus quam speravisset felici successu docuerit, anno sequenti meliorem Nubibus fore fortunam sperantem, novam eamque aliquot partibus mutatam parasse editionem, quae nunc superesset. „Sed magnopere,“ inquit, „dubitatur, an nunquam in scenam prodierit.“ Qua de re Eratosthenis citavit scholion ad v. 552. ex quo appareret, Eratosthenem Nubes alteram inter dramata ἀδίδακτα retulisse; cui rei repugnat locus argumenti quinti (ed. Bekkeri.) et adnotatio sive ejusdem sive alius scriptoris ad v. 31. Quibus collatis, narrationem de fabula iterum in scenam commissa Grammaticorum errorem esse censet. Tum id egit, ut alterius ad priorem editionem eam fuisse ostenderet rationem, ut recte tanquam nova fabula in indicem dramatum referri posset. Quod testatum esse putat parabasi nova atque argumento fabulae septimo. „Quae vero de Nubibus,“ inquit, „circumferuntur fragmenta ad priorem editionem referuntur, quod in posteriore, quae superest, non sunt inventa.“ Sequuntur denique fragmenta ipsa ab Photio, Suida, Athenaeo Dio-

gene Laertio servata, in quae omnia vir doctissimus more suo singulatim inquisivit et quae de unoquoque sentiret, exposuit.

Secundum argumenti scriptorem Vespae bis datae sunt, (Boeck. l. l. p. 22.) qua de re paene nihil fusius disputatum est a viris doctis. Boeckhius, etsi nullam temere fabulam a bono poeta iterum productam esse, quin prius correctae esset, putat, tamen num Vespae correctae sint dubitat.

Ranas tanto acceptas esse Atheniensium favore, ut, postulante populo, correctae denuo in scenam immittendae essent, testatur Dicaearchus; id quod nobis auctor argumenti tradit, qui „ὄντω δὲ,“ inquit, „ἐθανμάσθη τὸ δράμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὡς φησὶ Δικαίαρχος.“ (cf. Petit. Misc. l. l. c. 14. p. 50 sq. Boeckh. l. l. p. 23.) „ubi grammaticus,“ ut ait Dindorfius, (Fragm. p. 24. sq.) „ita loquitur, ut non mutatam fabulam potius quam correctam fuisse judicare videatur. Duo tantum loci sunt inventi, qui ex correctione prodiisse possint videri, alter v. 1450—1475., alter in conjectura positus valde incerta de loco Athenaei epitomes l. p. 21.“ quorum utrumque Dindorfius uberius tractavit.

Bohtzii autem non affuit mihi dissertatio de Aristophanis Ranis a. 1828. Hamburgi edita.

Sed quum ad rationes respicio argumentorum, quibus verisimile fieri videatur, a poetis ipsis recensiones fabularum quarundam duplices profectas esse, atque talium recensionum vestigia et indicia adhuc exstare; ex iis, quae retuli, haec fere prodit omnium summa, quam Richterius in primo libri sui capite, ubi de variis Tragoediarum recensionibus in universum loquitur, breviter ita exposuit.

Binarum argumenta recensionum exstant: nam primum numerus fabularum, quae unius auctoris nomen prae se ferant, pervarie a biographis Tragicorum, a lexicographis, scholiastis, aliis definitur. Deinde ejusdem nominis binae sive plures fabulae hic illic laudantur, signatae litera α, β. Tum antiqui scriptores de correctis fabulis passim loquuntur. Denique ipsi fabularum auctores de correctis a semet ipsis fabulis videntur gloriari. (p. 5.) Quod numerus fabularum a diversis diverse definitus sit, atque inscriptiones ejusdem fabulae plures inveniantur, inde sententias virorum doctorum de duplici fabularum recensione firmari posse Richterius non credit. (p. 10.) Ex veteribus autem unus tantum correctarum Aeschyli fabularum mentionem fecit Quintilianus, qui, si modo verum sit ejus de correctis fabulis iudicium, singula verba ab histrionibus faciliora ad pronuntiandum prodita esse, significare Richtero visus est. (p. 31.) Quasdam autem fabulas denuo in scenam productas esse, historicis constat argumentis. Sed alia est res correctam edere fabulam, alia fabulam docere; qua de re Hermannus (Op. T. III. p. 256.) sic scripsit: „valde ambiguum est, quid sit, correctam edere fabulam. Nam vel tota compositio fabulae mutari potest, vel partes aliquae refingi, vel hic illic verbum aliquod aut versus minus numerosus corrigi.“ (cf. Aristoph. Nub. 545. sq. Boeckh. p. 21. Galen. in Hippocrat. de salubr. diat. et Athen. III. 132. et ibid. Casaubonum.) Tragicos vere gloriari non potuisse de fabulis compluries correctis, Richterius ostendere voluit. (p. 18.) Ab histrionibus post mortem trium poetarum principum fabulas varia ratione emendatas esse et interpolatas, testimoniis constat historicis, quorum idoneam copiam vir doctus descripsit. (p. 21 — 25.) Dindorfius in septem Sophoclis fabulis 48 versus spurios esse contendit. (Adnot. ad Soph. Trag. Praef. p. IV.) Athenienses igitur, qui genuina poetarum verba audire malebant, istis offensi histrionum interpolationibus, lege Lycurgea, Olym-

piad. 103. lata caverunt, ne fabulae interpolatae et vitatae ederentur. (Boeckh. p. 14. Gysar. de Graecor. tragoedia, qualis fuit circum tempora Demosthenis p. 7 sq.) Atque varias lectiones, quae a scholiastis in tres Tragicos commentarios describentibus commemorantur, maximam partem ab histrionibus originem ducere Richterus conjecit. (p. 25.) Sed praeter histriones nominavit idem vir doctus scribas civitatis et librarios, »qui apographa permutaverint ac permutando saepissime inquinaverint (p. 27 sq.) Attamen sive habuerunt ad manus recensione a poetis profectas, sive ab histrionibus interpolatas descripserunt, »duplicem fabularum recensione ab ipsis poetis profectam non esse, demonstrari posse,« Richterus censet. Cujus rei causas satis probabiles attulit. (p. 37.) Postremo legem Lycurgeam contra histrionum interpolationes solis Athenis vim habuisse, atque, num e peregrinorum interpolationibus aliquid supersit, ad liquidum perducere vix posse, credit. (p. 38.) Haec fere sunt, quae Richterus in prima libri sui parte de duplici fabularum graecarum recensione in medium protulit et documentis historicis confirmavit.

In universum etiam de diasceue fabularum Graecarum Witschelius nuperrime sententiam suam aperuit in dissertatiuncula Germanice conscripta, (*Zimmermanns Zeitschrift f. d. Alterthums-Wissenschaft Jahrg. 1840. 11. Heft.* p. 1107 sq.) in qua, postquam quae Casaubonus, Boeckhio et J. Richterus hac de re sentirent, commemoravit, primum Boeckhio in diasceue definienda quodammodo consentiens, ejusmodi diasceues diserta satisque idonea testimonia exstare omnino negat, quia adhuc a nemine ex veteribus auctoribus allatus sit locus, quo poetas ipsos tragoedias correxisse appareat. Quae enim a Casaubono et Boeckhio hac de re disputata sint, ad comoediam tantum pertinere monet. Tum in Galeni, quem descripsit, locum inquirens, inde nihil aliud sequi putat, nisi poetas tragicos, si dramata quaedam retractaverint, ea plane nova reddidisse, quod indicetur signis α' , β' , vel verbis *πρώτος*, *πρότερος* et *δευτερος*. Atque tales tantum tragoedias nomen duplicis recensione praese tulisse censet, quod exemplis allatis probat. Deinde summam totius disputationis suae his protulit verbis: *„Ich behaupte, dass die griechischen Tragiker allerdings hin und wieder eigene Stücke umgearbeitet, diese Umarbeitungen sich aber im Ganzen ebenso zu der frühern Bearbeitung verhalten haben, wie sich die Wiederholung eines schon von andern Dichtern behandelten Stoffes zur ersten Auffassung und Darstellung verhalten hat, wenigstens von den Zeitgenossen, die an Wiederholungen tragischer Mythen hinlänglich gewohnt waren, so angesehen und beurtheilt, nicht aber mit diaskeuisirten Komödien verglichen und zusammengestellt wurden.“* Atque postquam auctores Argumenti Hippolyti et Medae ad rem faciendam testantes nominavit, alia hujus rei demonstrandae argumenta se fugere professus est; iis enim, quae Quintilianus (C. 10. 66.) de correctis retulerit fabulis Aeschyleis, hanc rem demonstrari posse negat; in hoc quidem Quintiliani loco aliquid veri inesse, sed Quintilianum rem neque plane cognitam habuisse, neque eam accurate enarrasse putat. Quam ob rem controversias interpretum exinde exortas non componi posse credit, nisi conferantur ea, quae scriptor vitae Aeschyleae atque Aristophanes in Ranis Scholionque ad v. 10. hac de re tradant, unde sequi scribit, Athenienses ut tragoediae Aeschyleae post mortem poetae in scenam producerentur, lege sanxisse, sed hunc honorem Aeschylo delatum iis obstare, quae de correctis narraverit Quintilianus, quem has duas res confundentem suam composuisse narrationem credit.

Sed finem jam expositioni huic impositurus ad Sophoclis Trachinias ab Hermanno editas me de-
nuo converto, ut singulatim referam, quibus argumentis indicisque vir egregius motus duplicem hujus
fabulae recensione[m] extitisse statuerit, et quae contra eum disputata sint a viris doctis. Versus igitur,
quorum ex diversitate lectionis Hermannus Trachiniarum geminam a poeta ipso factam esse re-
censionem coniecit, sunt hi tres: 7. 12. 784; quos vero, quoniam tautologiae signum prae se ferant,
recensioni primae adscribens uncis tanquam alienos ab hac fabula inclusit, sunt: 84. 88 et 89. 523 —
525. 894 et 895. Versus denique ex duplici quidem recensione profectos, sed in textu editionis suae
locum obtinentes consignavit duos: 294. 1107.

Ad versum 7. Hermannus „mihi ὄκνον,“ ait, „primae editionis videtur, quod cum sentiret poeta
minus aptum esse, quia de molestia potius, quam de metu hic dicendum erat, in altera recensione po-
suit ὄτιλον.“ Apitzius autem contra Hermannum in Adversar. ad Trachin. p. 68. disputans, non mo-
lestiam, sed, ut et alii editores locum interpretati sunt, (cf. Capellmannus in dissertatione supr. cit.
p. 187.) metum potius nuptiarum Deianiram habuisse maximum ostendit, neque nos sequi oportere
manum emendatricem, quam imperiti cujusdam, neque Sophoclis, fuisse, „nam profecto,“ sic pergit,
„si quid video, fabula haec nullam, nedum Sophoclis censuram experta est alteram. Cave enim, ne
de Sophocle, Tragicorum poetarum haud dubie praestantissimo, male sentias isto ductus opinionis er-
rore, Trachinias curis ejusdem secundis subjectam esse. Quodsi eam fabulam ab ipso poeta emenda-
tam elimatamque habere volueris, quam nunc versamus manibus, de arte ingenioque Sophoclis plane
singulari atque insigni permultum detraxeris. Quae praeterea Hermannus affert argumenta ad suspi-
cionem de duplici Trachiniarum editione confirmandam, haec nihili arbitror pendenda esse. Tales enim
scripturae discrepantias, quales in Trachiniis habemus, reperies etiam alias, ubi repetitae scriptionis
nemini veniet in mentem.“ Richterius quidem in libr. 1. p. 12. versu 7. et histriones et librariorum pec-
casse scripsit, et quum non duae, ut Hermannus velit, in hoc versu, sed tres lectiones aliquando ex-
titerint: ὄκνον, ὄτιλον, μόρον, triplicem nos hoc modo recensione[m] suspicari posse. Wunderus deni-
que in Emendationibus ad Soph. Trachin. p. 3 sq. scripturam ὄτιλον ad varias easque vilissimas inep-
tissimasque lectiones retulit, non dubitans, „quin virginis honestae metus, ne viro tetro in matrimo-
nium detur, suamum malum, summa molestia sit.“

Versum 12 his prosequitur Hermannus verbis: „apud Strabonem — ἀνδρείω κίττι βούπρωρος in
plerisque et melioribus libris legitur, quod quum exquisitius sit, facile quis manum secundam poetae
agnoscat.“ Apitzius Hermannum non oportuisse dicit poetae agnoscere manum secundam, sed Strabo-
nis potius interpretis. (cf. Capellmann l. l. p. 187) Neque Geographi fuisse Richterius putat, versus,
quorum forte meminerat, accuratissime descriptos apponere. Wunderus cum Hermanno lectionem ex
Strabone retinuit, eodum scripturam pro glossa a librariis recepta habens. (p. 3. cf. 175.)

Ad versum 784, a Diogene Laertio X. 137. memoriter citatum Hermannus haec scripsit: „Quum
utraque lectio bona sit, et prout consideres, altera alteri praeferi mereatur, hunc quoque locum in iis
numerandum puto, qui duplicem hujus fabulae recensione[m] prodant.“ Apitzius vero opinionem de fa-
bula repetita removens suo Marte versum hunc expedit. Richterius autem Diogenem vel memoriae er-
rore mutasse, quae et Capellmanni opinio est, (p. 193.) aut transposuisse, aut delevisse omnino ge-

nuina poetae verba putat. Wunderus contra codicum scripturam, quam ab interprete profectam esse contendit, versum a Diogene citatum praetulit. (p. 55 sq.)

Majoris quidem momenti sunt, quae Hermannus ad quatuor, quos tautologicos esse supra dixi versus attulit. Ejecerunt versum 84 Bentleius, Dobraeus, Nevius, Apitzius, Elmslejus, Dindorfius spurium esse arbitantes; transpositionem versuum 84 et 85 Canterus instituit, mutato η ante $\pi\acute{\iota}\pi\tau\omicron\mu\epsilon\nu$ in $\kappa\alpha\iota$, quam viam secuti sunt Brunckius, Musgravius, Erfurdus. Hermannus autem ad duplicem fabulae recensionem refugiens, „si quidquam,“ inquit, „manifestum est, diversarum hic recensionum verba conjuncta esse, quarum altera versum 84, altera 85 habuit. Si quid video, primae editionis fuit hic, η $\pi\acute{\iota}\pi\tau\omicron\mu\epsilon\nu$ etc. Quae Sophocles quum videret minus apte dicta esse, quod de Deianira minus grave verbum $\pi\acute{\iota}\pi\tau\omicron\mu\epsilon\nu$, de Hercule autem nimis grave $\acute{\epsilon}\xi\omicron\lambda\omega\lambda\acute{o}\tau\omicron\varsigma$, idque sine ulla causa posuisset, emendavit locum, alio posito versu, qui utroque vitio liber esset, ac potius pro diro aliquo Herculis interitu id commemoraret, quod maxime optabat Deianira.“ Contra hanc Hermanni sententiam disputarunt, ut supra dixi, Constantinus Matthiaeus, Apitzius et Wunderus. Matthiaeus sententiam de duplici Trachiniarum recensione hanc expromsit: „Duplici Trachiniarum recensione, quam Hermannus sibi persuadet, quum omnino non multum tribuam, tum ex hoc loco cognosci eam nondum puto. Perversissimum nunc esse totum sententiae ordinem, quivis intelligit. Sed num inde sequitur ab altera aliqua fabulae recensione venisse, quae perversitatem illam efficiunt? Ita haberemus omnium veterum scriptorum duplicem recensionem: nullum est enim similium vitiorum expers. Sequitur illinc nihil aliud, nisi locum corruptum esse, aut confusis poetae verbis, aut depravatis, aut alienis additis.“ Tum singulis Hermanni dictis refutatis, Capellmannique partim collaudata, partim improbata interpretatione, locum a Cantero permutatione restitutum probat. Apitzius autem, postquam Hermanni verba descripsit, sic pergit: „Haec quam accuratissime relata vix spero vel testibus Sophoclis filiis quemquam pro veris habiturum esse. Quid? risipiscens demum correxerit poeta η $\sigma\epsilon\sigma\acute{\omega}\sigma\mu\epsilon\theta\alpha$, η $\pi\acute{\iota}\pi\tau\omicron\mu\epsilon\nu$? Sic ne juvenis quidem scripsit.“ Atque quum vir doctus difficultatibus, quas scriptura praebet, se evolvere non posset, versum totum ejecit. Wunderus in universum de duplici hujus fabulae recensione sententiam aperiens, „primum,“ inquit, „si bis edidisset correxissetque hanc fabulam Sophocles, quo praestantior ille poeta fuit, eo minus quisquam sibi persuadebit, curas ejus secundas in rebus longe minutissimis levissimisque versaturas fuisse. Atque quae inveniuntur in hac fabula scripturae diversitates, ex quibus Hermannus recensitam eam esse collegit, non modo paucissimae sunt, sed etiam levissimi momenti, nonnullae adeo tales, ut, cum altera tantum scriptura loci sententiae conveniat, alteram aut ab interprete aut a librariis ortam esse manifestum sit.“ (p. 174 sq.) Tum paullo inferius ad versum 84. falli Hermannum scripsit, quod η $\pi\acute{\iota}\pi\tau\omicron\mu\epsilon\nu$ — $\acute{\epsilon}\xi\omicron\lambda\omega\lambda\acute{o}\tau\omicron\varsigma$ de Deianira minus grave verbum esse $\pi\acute{\iota}\pi\tau\omicron\mu\epsilon\nu$, de Hercule autem nimis grave $\acute{\epsilon}\xi\omicron\lambda\omega\lambda\acute{o}\tau\omicron\varsigma$ esse dixerit. Atque versu 1039. ex hac ipsa fabula allato, inde sequi putat, hoc quidem loco et gravius et accomodatius verbum $\pi\acute{\iota}\pi\tau\epsilon\iota\nu$ quam $\omicron\acute{\iota}\chi\epsilon\sigma\theta\alpha$ esse. Itaque versum 84. retinuit et versum 85. extrusit. (p. 177.)

Huic similis locus continetur versibus 88. et 89., ubi Hermannus haec fecit verba: „Hic quoque nihil mutandum, sed primae editionis verba ejicienda esse, satis arguere videtur repetitum $\nu\acute{\iota}\nu$ $\delta\acute{\epsilon}$. Quod nisi magnopere fallor, illius editionis erant vv. 88. 89. iisque fiebat Hylli oratio. Sed quum

videret poeta, consolationem illam facere, ut Hyllus parum sollicitus de patre esse videretur, aliam posuit eamque talem sententiam, in qua nihil esset, quod quis vituperaret. Cum Hermanno ejecerunt eosdem versus Dindorfius, (qui tamen, ut refert Richter p. 13. l. l. nuperrime vv. 90. 91. delere mavult.) Gaisfordius, Elmslejus, Ellendtius, (Lex. Soph: s. v. προσαρβειν.), Nevius. Matthiaeus nihil mutandum esse putat, nisi quod Vauvillersius et Billerbeckius mutavere et quod etiam Erfurdus recepit, εἴ in εἴα, deinde, quod Brunckius primus fecit, τὸ μὴ in τὸ μὴ οὐ. Atque his verbis clausit disputationem suam: „tantum abest, ut versus 88. et 89. argumento esse queant duplicis Trachiniarum recensiois, ut, si talem unquam extitisse certum esset, ne tum quidem eo referri jure possent.“ Exempla autem repetitarum particularum νῦν δέ attulerunt Capellmannus (l. l. p. 189. sq.) ex Aristoph. Thesm. 426 sq. 450 sq. 255 sq. et Apitzius ex Sophocl. Electr. 1331 sq. Wunderus, postquam quae contra Hermanni sententiam in promptu habuit, singulatim protulit, sic clausit disputationem suam: „Tantum abest, ut ex iteratis νῦν δέ particulis conjecturam facere recensitae hujus fabulae tibi liceat, ut, si unquam, hoc loco certissimum sit, librariorum errore corruptum hunc locum iterataque illa vocabula esse.“ (p. 179.) Tum Brunckii mutatione loci collaudata, ejus scripturam amplexus est.

Versus 523 — 525 etiam iis adnumerantur, quibus Hermannus duplicem fabulae recensioem probari voluit. Scholiorum scilicet ad versum 523 priorem ineptissimum, alterum aptissimum esse dixit, in quo, voce τέλη in τέρορα mutata, versum conjiciendo ita restituit: „ἐγὼ δὲ τέρορα μὲν οἷα φράζω“; tum alia ratione, quam dubitanter commemorat, sensum hanc in formam redegit: „ἐγὼ δ' ὁμαρτῆ μὲν οἷα φράζω.“ Nihilominus vero et in sensu, quem scholion praebet, et in tautologia, quae in textu invenitur, haerens, „his argumentis,“ ait, „adducor, ut hic quoque duarum editionum scripturam conjunctam esse putem, quarum in altera versum illum, καὶ στόνος ἀμφοῖν statim exceperit v. 525. et qui sequuntur usque ad finem carminis, omissis mediis; in altera autem defuerint v. 523 — 525.“

Dindorfius eosdem versus tanquam spurios rejecit. Capellmannus interpretatus est locum, quasi scriptum sit: ἐγὼ δὲ φράζω, οἷα μάτηρ ἔφρασεν, Heathium et Brunckium secutus, quos tamen non nominavit. (p. 190 sq.) Matthiaeus (§ 18. l. l.) postquam Capellmanni interpretandi rationem improbavit atque Hermanni opinionem rejecit, locum ope scholii primi expediit eadem fere ratione, qua jam Reisigius in Comment. crit. ad Oed. Colon. v. 1669. p. 398. usus est, quem tamen ne uno quidem verbo commemoravit. De scholio autem secundo hanc protulit sententiam: „hoc scholion, quomodo-cunque huc aberraverit, alienissimum esse quum aliunde et maxime ex ipsis poetae verbis patet, tum illa ipsa, quam affert Hermannus, res novo est testimonio.“ Apitzius locum verbis Reisigii descriptis explicuit. Wunderus iis, quae ad hunc locum contra Hermannum disputavit, haec addidit verba: „non puto,“ inquit, „pluribus argumentis opus esse, ut evincam, nullum hic vestigium bis editae correctaeque a Sophocle fabulae reperiri. Immo hoc quidem satis certum videtur, verba illa omnia, quae post ἀροίταν addita in codicibus reperiuntur, ut nunc sunt scripta, Sophoclis esse judicari non posse. Cum autem vix videantur ita mutari posse, ut commode adjici iis, quae praecedunt, potuisse pateat, nihil jam relictum videbitur, quam ut ab histrione profecta credas; quamquam ne hunc quidem adeo ineptum fuisse mihi persuadere possum, ut scriberet, ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα φράζω etc.“ (p. 183.)

Versus denique 894 et 895, quos Wunderus et Dindorfius extruserunt, spurios esse censentes, Hermannus iis adscripsit, qui duplicis prodant recensiois vestigium. Quum enim ejusmodi vitiis locum videret infectum, quae neque emendari, neque ipsi imputari Sophocli possent, in vocibus haerens *τις* et *καὶ ταῦτα*, quas libri veteres praebent, duarum nos recensioinum verba in textu conjuncta habere conjecit, quarum in altera pro v. 889 — 891. v. 894 scriptus, iisque subjectus esset v. 895; alteram autem pro versibus 894 et 895 habuisse v. 889 — 893. At Apitzius scripturam librorum veterum defendens, pronomen *τις* retinuit, „quod,“ ut ait, „apponi solet adjectivis, quae eo addito aliquanto plus valent quam illo omisso;“ idque exemplis probavit allatis ex Trach. 945. Aj. 8. 1266. Philoct. 808. Qui autem offenduntur vocibus *καὶ ταῦτα*, hos rejecit ad Trach. 1154. Eurip. Phoen. 718 sq. Iphig. Aul. 1010. Wunderus, qui nuperrime versus praecedentes prorsus in alium redegit ordinem, versum 984 in textum recepit, pronomine *τις* in *τοι* mutato. (p. 110.)

Postremo versus 294 et 1107, quos in tertium supra posui ordinem, quum scripturae tantum perexiguas habeant discrepantias, ejicere non ausus est Hermannus, attamen eos ex duplici fabulae recensione profectos esse putavit. Quae autem ad rem probandam dixit, ea levioris sunt momenti.

Sed rursus ad Sophoclis Trachinias ab Hermanno editas reversus, ut iudicium meum, qualecunque est, de sententia, quam ille de hac fabula habet, feram, ne modum Programmatis praescriptum nimis excedam, summam tantum rei tangere cogor. Quae quum ita sint, jam in universum quaero: quidnam veri certique his, quae exposui reputatis, inventum est? Res scilicet haec multis variisque modis in disceptationem vocata nunc eodem revolvitur, unde profecta est Hug. Grotii aetate, cujus sententiam in fronte expositionis hujus posui. Mirum enim in modum viri docti materiam hanc tractantes in orbem circumacti sunt, Grotio primum agmen ducente, Witschelio extremum claudente. Quum vero quaestionis hujus ratio, ut ita dicam, historica sit, atque ad eam instituendam documenta ex historia petita desint, eam justis rationibus argumentisque absolvi et ad liquidum perducere non posse iudico. Fabulas quidem quasdam Aristophaneas duplicem habuisse recensioem historicis constat testimoniis, Comoedia enim quasi rebus tum gestis inclusa tenebatur, atque quum fabula denuo in scenam immittenda erat, multa quae ad tempus idem spectarent, immutanda erant. Quae quidem longe aliter se habent in Tragoedia, quae rebus et tempore praeterito actis et a spectatoribus plane cognitae nitebatur atque hanc ob rem non eandem, quam Comoedia passa est, mutationem permittebat. Itaque plures existunt Tragoediae idem nomen prae se ferentes et literis *α'*, *β'*, aut vocibus *πρώτος*, *πρότερος*, *δευτερος* insignitae, sive ab eodem, sive a diversis compositae auctoribus, quae tota oeconomia, forma totoque habitu pro plane diversis habendae sunt fabulis. Sic enim, ut ex sylva exemplorum unum tantum proferam, praeter Aeschyli Persas Persae quoque Pherecratis et Timothei citantur; (v. Athen. L. III. p. 18. D. Polluc. L. VII. c. II. Casaub. Animad. p. 157. Plutarch. in Philopoem. p. 360. C. Eustath. in Il. A. p. 11. Schol. ad Aristoph. Vesp. 532. Ran. 260.) inter dramata Sophoclea Athamus, Mulieres in Lemno, Tyro et Phineus; inter fabulas Euripideas primus et secundus Hippolytus, Autolycus primus ab Athenaeo p. 413. C. et Phryxus secundus in scholio ad Aristoph. Ran. v. 1256 nominantur. Ut igitur sententiam de duplici Tragoediarum quarundam Graecarum recensione meam universam proferam, hanc rem a nemine virorum doctorum, qui istam tractarunt materiam, argumentis

